

Secundum, quod determinatorum quilibet post suam promocionem et expeditum prandium, cum ei per facultatem locus assignetur, det eidem facultati tres florenos in auro.

Tercium, quod eo tempore, quo determinantes suas quaestiones more eorum determinant, certos facultatis seniores una cum facultatis arcium decano ad suam collacionem cum missione cedularum conclusionum vocare debent esse obligati.

Quartum ad lectiones et exercicia dicti determinatores pro gradu tam magisterii quam baccalariatus, ne magistris per facultatem promotis preiudicium aliquod et damnum inferatur, nunquam admittantur, nec eciam ad consilium facultatis quovis modo assumantur. Si autem aliquis determinatorum ordinariam disputacionem argumentandi causa ingredi voluerit, idem eciam in suo ordine inter magistros sibi assignato ad disputandum ordinarie seu ad opponendum debet esse asstrictus.

Item quod tempore promocionis dicti determinatores nuncciis sive famulis universitatis medium exsolvant effectualiter florenum.

Supradicti articuli omnes et singuli divisim et coniunctim exposit per facultatis arcium sepedictum decanum dicto domino provisor et licenciato domino Balthazar de Porta fuerunt lecti et propositi et eciam, ut deliberaret melius cum suis patribus et dominis abbatibus, ad legendum in scriptis traditi. Post aliquod temporis intervallum coram tota facultate prefatus dominus licenciatus et provisor comparuit et supradictos articulos vocetenus omnes cum graciaram accione assumpsit. Quo facto magistri de consilio facultatis arcium dictis determinatoribus locum iuxta senium promocionis servatis articulis, ut supra, assignarunt. Hec eciam, ut inviolabiliter observarentur, facultas ad librum pergamenenum statutorum inscribi decrevit atque demandavit<sup>1)</sup>.

Iohannes Scotus de Sittenbach Nicolaus N. de Buch Benedictus de Novacella	}	Iiii tres determinatores assumpti fuerunt per totam facultatem sub decanatu magistri Nicolai Lindener.
---------------------------------------------------------------------------------	---	--------------------------------------------------------------------------------------------------------

Sequitur decanatus magistri Nicolai Schreytter de Koburgk.

### 1488 Wintersemester. 159. Decan Nicolaus Schreytter von Koburg.

M 130.

Decanatus magistri Nicolai Schreiter de Coburg, sacre theologie baccalarii formati, de nacione Bavarorum, anno domini millesimo quadingentesimo octuagesimo nono [!]. Anno domini millesimo quadingentesimo octuagesimo nono [!] Sabbato ante festum Galli electus fuit in decanum facultatis arcium magister Nicolaus Schreiter de Coburgk de nacione Bavarorum. Et iste decanus precedit duos prescriptos scilicet magistrum Sporn et magistrum Budweyß.

1488  
Oct. 11.

Clavigeri	{	mgr. Iohannes Leubaw mgr. Nicolaus <i>Heymer</i> de Dreßden	}	de nacione	{	Polonorum Misnensium.
Taxatores mgr.	{	Iohannes Lyrke Iohannes Spira Nicolaus Lindener.				

<sup>1)</sup> Nach dieser Einzeichnung folgt zunächst die Ueberschrift Sequitur decanatus magistri Nicolai Schreytter de Koburgk. Dies Decanat ist aber erst nach dem des Wenceslaus Fabri eingetragen worden.